

(56. Triplici tantum forma, seu modo potest fieri Papæ electio, scilicet per scrutinium, per compromissum, et per quasi inspirationem; Gregor. XV in dict. const. incip. *Æterni Patris Filius*, § 1, et in dicto Cæremoniali approbato et confirmato ab eodem in cit. constitut. incip. *Decet Romanum Pontificem*; et ab Urbano VIII in cit. constitut. incip. *Ad Romani Pontificis*.

(57. Triplex hic modus eligendi Pontificem traditur in dicta constitut. incip. *Æterni Patris Filius*, et diffusius in d. Cæremoniali incluso in cit. constitut. *Decet Romanum Pontificem*; ubi cum omnibus aliis ibi dispositis potest videri apud *Bullarium*, t. III, in constitut. 29 Greg. XV.

(58. Electio Papæ debet celebrari in conclavi clauso, et uno ex dictis tribus modis, alias nulla est et invalida eo ipso absque ulla declaratione, et tam electus, quam eligentes, ejusque fautores, et complices incurunt excommunicationem, aliasque censuras et pœnas Summo Pontifici reservatas. Sic expresse Gregorius XV in citat. constitut. incipit. *Æterni Patris Filius*. Vide ibi per tot.

(59. In dicta constitutione, § 24, Gregor. XV expresse quoad hoc derogat decretali Alexandri III. incip. *Licet* 3, De electione, et omnibus aliis Pontificis constitutionibus etiam in conciliis generalibus promulgatis, et in corpore juris clausis. (60. Et quamvis ibi Gregor. XV dicat *Pro hac vice duntaxat*, ad tollendam omnem difficultatem, quæ propter dicta verba oriri posset, Urbanus VIII eandem constitutionem confirmavit, atque perpetuo in omnibus futuris Romanorum Pontificum electionibus observari præcepit, cit. sua constitut. incip. *Ad Romani Pontificis providentiam*.

(61. Papa statim ac est canonice electus, est verus Papa quoad omnes effectus, et plenam, absolutamque habet jurisdictionem exercibilem supra totum orbem; *Glossa verb. Et dispensandi*, in cap. 1, dist. 37, ubi archidiaconus, num. 29, Bellarm. sub num. 22 et 23; Geminian., sub num. 26 et 27; Turrecremata, n. 20, 21 et 22; *Glossa final. in cap. Licet de vitanda* 7, De electione; Barbosa, l. 1, *Juris ecclesiastic. univers.*, n. 113; cardin. Petra, tom. I *Commentar. ad constit. Apostol.*, § 3 *Proœmial.*, num. 46, et *ad constit. unic. divi Gelasii I*, num. 9, et tom. IV, *ad constit. 3 Clem. VI*, num. 25, Corrad., in *Praxi dispensat.*, lib. II, cap. 8, num. 20, et communis aliorum. (62. Unde Papæ electio non indiget confirmatione, uti aliæ inferiores electiones, quia confirmatio electionis per superiorem fieri debet. Papa autem, nullum in terris habet superiorem, adeoque, etc. *Communis* cum supra citatis.

(63. Hinc mere Cæremonialia sunt, quod Papa non nisi post coronationem Lateranensis Ecclesie possessionem nanciscatur, et quod ante consecrationem, et coronationem nec Pontificatus annum scribat in litteris, nec simpliciter episcopum se nomet, sed duntaxat se scribat « Data suscepti a Nobis

apostolatus officii anno, etc., N. electus Episcopus. Sic Card. Petra, l. c., et alii passim. (64. Imo si quis ad jus ea reducere præsumperit, Apostolicas litteras impugnando ex hujusmodi prætextibus, quod scilicet Summus Pontifex ante suæ coronationis insignia, providere, reservare, dispensare non possit, nec se in litteris episcopum simpliciter, sed tantum electum episcopum scribere, nec etiam uti integra bulla, in qua ipsius nomen exprimitur, incurrit excommunicationem latam a Clemente V in extravagan. *Quia nonnulli*, De sent. excommunic., inter communes. (65. Et de facto quando protrahitur coronatio, Papa expedit etiam Bullas sub plumbo cum intitulatione episcopi, et cum data Pontificatus, etsi ante coronationem; ut inter alios fecit Urbanus VIII qui cum fuerit electus die 6 August. 1623 et coronatus die 29 Sept. ejusdem anni, tres bullas expedit cum intitulatione episcopi, et data Pontificatus ante dictam diem 29 Septembris, ut patet in *Bullario*, et observat. cardinal. Petra, t. I, *Comment. ad constit. unic. divi Gelasii I*, num. 9.

(66. Papa postquam suæ electioni consensum præstitit, aliud nomen sibi imponit ad instar principis apostolorum Petri, qui antea Simon vocabatur, *Matth. xvi: Beatus es Simon Bar-Jona, etc., et ego dico tibi, tu es Petrus*. (67. Ratio autem hujus mutationis varia assignatur, sed verior est, ad ostendendam novam regenerationem. Quapropter sicut in baptismo imponitur nomen, ita ingressuris religionem, ejus professio, quasi alter baptismus novo nomine novitium regenerat, idque a Summis Pontificibus, uti novis hominibus, seu potius vicediis, usurpatur non sine mysterio veteris hominis exuendi, Christumque prorsus induendi, juxta illud Samuelis ad Saul, *I Regum x, ibi: Ecce unxit te Dominus super hereditatem suam in principem... et mutaberis in virum alium*. Sic card. Pallavicin., in *Historia concilii Tridentini* lingua Italica, par. II, lib. XIII, cap. 1, n. 2; card. Petra, tom. II *Commentar. ad const. 1 Cælestini III*, n. 4, et alii.

(68. Quis autem fuerit primus, qui e Romanis Pontificibus cepit nomen mutare, non satis constat inter historiographos. Nam Platina Martinum Polonum secutus, et post eum Duard, in *Comment. ad Bullam in cœna Domini*, lib. I, c. 4, q. 5, dicunt fuisse Sergium secundum, qui ante *Os porci* vocabatur, nomine videlicet indigno Pontificia dignitate et majestate. Idem referunt Petrus Messia in *Silva variar. lect.*, lib. I, cap. 2; Illescas in *Historia Pontif.*, lib. IV, cap. 33, *De Sergio II*; Menochius, *De arbitr.*, casu 218, a n. 3; Gonsal., ad regul. 8 *Cancell.*, gloss. 1, n. 44 et 45; Paulus Fusc., littera P., sing. 2, vers. 2, *Qui in sua electione*; Thomas Actius, *De ludo scaccorum*, quæst. 12, n. 133; Boet. Epo., lib. I *De Regalib. in ecclesiast. benefic.*, n. 211, et plures alii citati a Cenedo, *ad Sextum*, collect. 13, n. 1. Sed hanc fabulam esse, et Martinum Polo-

num primo eam tradidisse, scribit Vincentius Fuga, in *Compendio notitiæ orbis sacri et profani*, fol. 270, et ut falsam opinionem rejiciunt Camil. Borel., *De præstantia regis catholic.*, cap. 1, n. 16; Barbosa, l. c., n. 115, et alii dicentes, constare secundum Anastasium Bibliothecarium prædictum Pontificem, etiam ante pontificatum, Sergium fuisse appellatum. Alii cum Azorio, *Institut. moral.*, par. II, lib. IV, cap. 42, quæst. 6, ad Adrianum III ante vocatum Agapetum, hujus mutationis initium referunt. Alii autem, ut Vincentius Fuga, *loc. cit.*, fol. 18; Graveson, *loc. cit.*, tom. IV, fol. 71; Baronius, *ad annum* 956, dicunt quod Joannes XII primus nomen mutavit; qui cum Octavianus vocaretur, in gratiam patris Joannis XI Joannes vocari voluit hujus nominis XII. Alii vero cum cardin. Petra, t. III *Comment. ad constit. 1 Cælestini III*, dicunt Sergium IV fuisse primum qui nomen mutaverit: cum enim vocaretur Petrus, ob reverentiam tantum apostoli primi Christi vicarii nomen sibi commutavit in Sergium, ut constat ex epitaphio ejusdem, quod exstat in Lateranensi basilica, et refert cardinalis Pallavicinus Societatis Jesu in *Historia concilii Tridentini*, lingua Italica, par. II, lib. III, cap. 11, n. 2 (171).

(69. Non tenetur autem Papa nomen proprium mutare, cum ad id nullum jus obligatorium reperitur, et constat, non solum antiquiores Pontifices hac nominis mutatione usos non fuisse; sed etiam sæculo decimo sexto Adriano VI et Marcellum II nomen proprium baptismatis retinuisse; primum ad preces Cæsarei oratoris propter excellentiam Pontificum ita nuncupatorum; secundum ob maximam dilectionem erga martyrem Summum Pontificem dicti nominis, ut referunt card. Pallavicin. et card. Petra, *loc. cit.*

(70. Papæ consecratio, seu inthronizatio fieri consuevit per card. episcopum Ostiensem, qui in eo actu metropolitani vice fungitur e. *In nomine Domini* 1, dist. 23. Unde pallio archiepiscopali utitur et ei Portuensis et Albanensis cardinales episcopi solent assistere. Et hodie cardinalium decanus, id est primus inter cardinales episcopos, quamvis non esset episcopus Ostiensis, id munus cum duobus aliis senioribus subit. Barbosa, *loc. cit.*, n. 116, et alii passim. (71. Consecratio autem Papæ in episcopum, si non erat episcopus, ac benedictio et coronatio ejusdem sunt diversa. Consecratio enim, seu benedictio fit a cardinali episcopo Ostiensi, seu decano, ut supra, inter missarum solemnias ante hymnum angelicum, et postea ipse missarum solemnias incipit, et perficit consecratur, quo tempore potest etiam ordines conferre, si velit; quod ab episcopo in die consecrationis suæ fieri ne-

(171) Idipsum Muratorio placuit *Antiquit. Italic.*, t. III, diss. 41, p. 764, et Josepho de Novaes, p. 95, operis cujus titulum dabimus sub hujus articuli finem.

(172) In argumento, quod hactenus pertractatum

quit, cap. *Quod sicut* 28, § *Super eo*, De electione. Coronatio autem fit per antiquiorem diaconum cardinalem. Barbosa, *loc. cit.*, n. 117, ut patet ex *Cæremoniali Romano*, tit. 2, *De ordinat. et consecr. novi Pontificis*.

(72. In die coronationis Papæ, ut conditionis humanæ memor sit, ante illum in summitate arundinis comburitur stupa, et ab uno cæremoniarum magistro interim sic inelamatur: « Pater sancte, sic transit gloria mundi. » Barbosa, *loc. cit.*, c. 2, n. 23, et alii passim, et patet ex *Cæremoniali Romano*, tit. 2, *De ordinat. et consec. novi Pontif.*

(73. In coronatione Papæ tertia collecta canitur de S. P. N. Francisco; canitur enim prima de Spiritu sancto, ut illuminet; secunda de B. V. Maria, ut protegat; tertia de S. P. N. Francisco, ut sicut reparavit Ecclesiam, eandem sustentet. Ita Kazemberger, in *Supplement theol.*; Sporer, in *Prærogativis ord. nostri Ser.*, n. 10. (172).

(74. Alia vide v. CARDINALES, art. 5, per tot.

ADDITIONES CASINENSES.

Fabula de muliere Papissa Joanna inter Leonem IV et Benedictum III in Sedem Romanam evecta, plenissime confutatur et evertitur.

Et revera Leoni IV defuncto 17 Julii 855 statim ac immediate Benedictus III successit: id quod cœvorum ac gravissimorum auctorum testimoniis luculentius probare aggredimur. Et sane Lupus Ferrariensis abbas, illius temporis scriptor (quique de Caroli Calvi mandato penes laudat. Pontif. Leonem IV an. 847, legatione functus fuerat), in Epistola 103 ad Benedictum III missa, de illius exaltatione ad Pontificatum gratulatus, subjungit: « Tempore decessoris vestri beatæ memoriæ Leonis functus legatione Romæ, cui auctore Deo præsidetis, et ab eodem antistite exceptus benigne, atque tractatus, postquam vos non esse inferiores religione fama declaravit... ausus sum tantillus cognitioni Vestræ Sublimitatis me scriptis ingerere. » Ex edit. Baluzii an. 1661.

Clarius et expressius S. Ado, pariter monachus in cœnob. Ferrariensi, ac anted. Lupi abbatis discipulus, quique an. 860 Viennensis episcopus fuit electus: siquidem in *Chronico* ad an. 855 hæc refert: « Pontifex Romanus Gregorius (nimirum Greg. IV qui Pontifex creatus an. 827 superis concessit an. 844) moritur, atque ejus loco Sergius (Sergius II) ordinatur. Illo defuncto, Leo (Leo IV de quo supra) succedit. Quo obeunte, Benedictus in Sede Apostolica substituitur. » Ubi quæso illa Papissa Joanna, quæ post Leonem solum Pontificium conscendisse tam impudenter, tamque ignoranter ab heterodoxis plerisque jactatur?

Audiamus Anastasium Bibliothecarium,

sui, a. 1769 luculenter versatus fuit eruditissimus Lusitanus Josephus de Novaes edito Romæ apud Casalettum libro, cui titulus: *Il sacro rito antico, e moderno della elezione; coronazione, e solenne possesso del Sommo Pontefice*, in-8°.

illis ipsissimis temporibus florentem, auct. famiger, ac testem oculatum, utpote Romæ degentem, qui in *Pontificali*, seu in *Vitis Pontificum*, in Vita Benedicti III, ita scriptum reliquit: « Leo quidem, ubi hac luce subtractus Præsul occubuit, mox omnis clerus istius Romanæ protectæ Sedis, universique proceres cunctusque senatus ac populus congregati sunt, Domini clementiam exorantes ut beatificum illis omnibus demonstrare dignaretur Pastorem, qui culmen Apostolatus regere valuisset tranquille. Divinitus igitur æthereo tunc lumine inflammatus, uno consensu, unoque conamine Benedictum, pro tantis, quibus pollebat, sacris operibus, Pontificem promulgaverunt eligere (173). » Et quod magis est, idem scriptor de schismate in ejusdem Benedicti electione fuse loquitur, promotus ab Anastasio presbytero cardinali iniquitatibus celebri (hic nequaquam cum Anastasio Bibliothecario confundendus), qui Apostolicam Sedem impium quidem in modum invadere conatus est; sed frustra: quippe cum omnes episcopi in Urbe astantes, nec non clerus ac populus hujusmodi pseudopapæ obstiterent. Quid plura, lector?

Id ipsum plane constat ex Hincmaro archiep. Remensi, viro undique insigni, qui sub memorat. Leone IV, Bened. III, et aliis seqq. Pontific. Nicol. I, Hadriano II, etc., inter vivos versabatur. Namque in epistola 26 hæc habet: « Missos meos cum litteris Romam direxi. Quibus in via nuntius venit de obitu Papæ Leonis. Pervenientes autem Romam cum præfatis litteris... Dominus nomine, et gratia Benedictus, mihi, quod nostis, privilegium direxit. » Quod si nuntii istiusmodi per viam de obitu Leonis certiores facti, Romam pervenientes, novum Pontificem, Benedict. nempe, jam electum invenerunt, luce meridiana clarius patet,

(173) In quibusdam Anastasii codicibus per maximam impudentiam, et contra fidem veterum omnium exemplarium ejusdem auctoris, assuta legitur fabula de papissa Joanna, per hæc sane verba. « Post hunc Leonem, Joannes Anglicus, natione Munguntinus sedit annis duobus, mense uno, diebus quatuor, et mortuus Romæ, et cessavit episcopatus mense uno. Hic, ut asseritur, femina fuit, et in puellari ætate a quodam suo Amasio habitu virili Athenas ducta, sic in diversis scientiis profecit, ut nullus sibi par inveniretur, adeo ut post, Romæ legens magnos magistros, et auditores haberet; et cum in Urbe vita, et scientia magnæ opinionis esset, in Papam concorditer eligitur: sed in Papatu per suum familiarem imprægnatur. Verum tempus partus ignorans, cum de Sancto Petro in Lateranum tenderet, angustiata inter Coliseum et S. Clementis ecclesiam, peperit, et post mortua, ibidem, ut dicitur, sepulta fuit. Et quia Dominus Papa, cum vadit ad Lateranum, eandem viam semper obliquat, creditur a nonnullis, quod ob detestationem facti hoc faciat; nec ponitur in catalogo Pontific. propter muliebri sexus deformitatem quantum ad hoc. » Verum hanc narrationem falsissimam esse, et nequaquam Anastasio tribuendam, ex eo luculentissime evincitur, quod in omnibus ejusdem vetustissimis codicibus omnino deest, in quibus insuper traduntur, quæ de Benedicti electione, deque schismate tunc exorto, hic supra ad verbum retulimus.

hunc postremum immediate antedicto Leoni successisse.

Amplius Photius, Ecclesiæ Romanæ hostis infensissimus, quique patriarchatum Constantinopolitanum sub Nicolao I, Benedicti III, immediato successore invasit, post Leonem IV eundem Benedictum in Apostolica Cathedra consedisse disertissimis verbis ostendit, in l. 1. *De Spiritu sancti process. adversus Latinos*, hoc sane pacto. « Heri... nobilis... ille Leo... Inclytus Benedictus post eum in archieratico throno successor. » Insuper metrophanes Smirnæus Phot. cœvus, pariterque in Romanam Sedem animi hostilis, in lib. *De Spiritu sancti divinitate*, Pontificum sui temporis catalogum pertextens, Benedictum immediatum Leonis successorem ponit, postque eum, Nicolaum I, Hadrianum II, Joannem VIII ordinatim commemorat.

Deinde, si Romana sedes feminæ Pontificatu dedecorata fuisset, Græcis non exprobrasset tanta confidentia Leo IX Pontif. Max. feminam in sed. Constantinopolit. irrepisse; aut certe ipsi istud opprobrium in Romanam Sedem retorsissent. Lubet afferre verba Leonis in epistola ad Michaellem Cerularium patriarcham Constantinopolitanum. « Absit, autem, sic ille, ut velimus credere, quod publica fama non dubitat asserere, Constantinopolitanæ Ecclesiæ contigisse, ut... feminam in Sede Pontificum suorum sublimasset aliquando. Hoc tam abominabile scelus, detestabileque facinus, etsi enormitas ipsius, vel horror, fraternaque benevolentia non permittit credere: considerata tamen incuria vestra erga sanctorum censuram canonum, quia eunuchos, et aliqua parte corporis imminutos, non solum ad clericatum, sed ad pontificatum etiam indifferenter, et solemniter adhuc promovetis, fieri potuisse pensamus. » Quis, inquam, sibi

Deinde verba in hujusmodi narratione inserta, creditur, asseritur, dicitur, aperte indicant, scriptorem minime illis temporibus, sed longe post hujusmodi somniam papiss. vixisse. Quis enim sibi persuadeat Anastasium, eo ipso tempore Romæ degentem, proindeque tam clamorose rei gestæ testem oculatum, phrases, et conceptus dubios vel tanquam de facto obscuræ traditionis, contra quod ipse vidisset oculis suis, adhibuisse; rerumque, quæ tunc agebantur seipso teste historiam, velut incerto rumore ad se perlata litteris consignasse? Amplius ibi refertur, feminam hanc Athenis diversas scientias fuisse edoctam; quod evidentius fabulatoris ignorantiam ostendit. Siquidem tunc temporis nulla Athenis studiorum universitas exstabat, quippe a Justiniano a tribus circiter sæculis penitus sublata, atque extincta. Neque hoc Justiniani factum Anastasium Bibliothecarium latere poterat, qui loca imperii Orientis, ac ipsam Constantinopolim callebat, ibique aliquantisper moratus fuit, cum scilicet synodus octava œcumenica haberetur an. 869. Quæ omnia clarissime probant, narrationem memoratæ papissæ ab impostore, quisquis fuerit, rerum ac temporum imperito confictam ac per vetitum nefas in dicti Anastasii exemplaribus intrusam, ac substitutam genuinæ historiæ electionis Summi Pontificis Benedicti III a nobis allatæ, prout in omnibus vetustissimis codicibus, nullo discrepante, invenitur.

persuasum velit, hunc Pontificem tanta dignitate, et animo Græcos sic increpandos suscepisse, si, vel etiam incerta fama, narratio de papissa Joanna vulgata fuisset? Quid hisce testimoniis atque inductionibus ad rem, de qua agimus, demonstrandam optari potest illustrius?

Frustra vero testimonia Mariani Scoti Martini Poloni, Sigeberti in *Chronico* ad an. 854, S. Antonini Florentini archiepiscopi *Chronicorum*, p. 11, tit. 16, cap. 1, § 6, ac demum Platina in lib. *De vitis Pontificum*, ad papissæ signum firmandum quis objiciet. Enimvero cum de auctoribus quam longe posterioribus, uti sunt hi nunc recensiti, agatur, nequaquam hosce gravissimos, ac cœvorum script. supra aliorum auctoritatem, fidemque infirmare potis esse, ex omnibus artis critica legibus compertissimum est, ex quibus utique constat scriptores illos in re historica præponendos, qui cœvi vel propinquiores eventis fuere, nullamque sui suspicionem, sive quoad factorum notitiam, sive quoad probitatem reliquerunt.

Et revera Marianus Scotus annis centum septuaginta tribus post Benedicti III exaltationem natus est: Sigebertus an. 1112 superis concessit, adeoque ducentis quinquaginta et amplius annis post epocam Benedicti III Martini Poloni tempore Nicolai III qui an. 1277 Pontifex creatus fuit, inter vivos egit, cujusque fuit pœnitentiarius, proindeque quatuor circiter sæculis ab æra, de qua sermo est, S. Antoninus, et Platina sæculo xv exordiente, ac procedente floruerunt. Quæ cum ita sunt, quis sanæ mentis his scriptoribus recentioribus illos veteres, et cœvos posthabendos putet? Undenam, quæso, ejusmodi moderniores historiam papissæ mutati sunt?

Præterea in sinceris, et vetustioribus Mariani Scoti codicibus fabella ista nusquam invenitur; ut propterea colligas licet aliena manu intrusam fuisse.

Quod attinet ad testimonium Sigeberti, utique negamus laciniam de papissa in ipsius *Chronico* exstare, cum nequaquam invenitur in ejus autographo in cœnobio Gemblacensi asservatum, quodque a Miræo editum fuit.

Ad alterum testimonium, quod est Martini Poloni, haud dubitanter affirmamus, *Chronicon* ipsius fuisse interpolatum, fabulamque, de qua agimus, in codice ms. Vaticanæ Bibliothecæ omnium antiquissimo, et integerrimo desiderari, ut Leo Allatius testatur.

Quoad vero auctoritatem S. Antonini, notandum, sanctissimum præsullem non nisi dubitanter, vel potius tanquam de re falsa locutum esse; siquidem *loc. supr. cit.* scribit: « si verum fuit quod vulgo dicitur... Et quoddam signum sculpturæ marmoreæ (de quo infra) in via, ubi hoc contingit, ob hujus rei memoriam positum dicitur. Vincens tamen (Bellovacensis), et Joannes de Columna nihil de hoc referunt. Sed etsi fuit

verum, nulli tamen ex hoc salutis præjudicium: quia nec Ecclesia tunc fuit sine capite, qui est Christus... » Quod si S. Antoninus ex falsis et apocryphis monumentis revera fuisset deceptus, ejus testimonium (agitur de scriptore sæculi xv) nihil ponderis profecto, salva erga tant. vir. reverentia, dictæ fabellæ conciliaret.

Idem dicimus de Platina, qui cæterum, ut in Pontific. plerosque paramæquos, satis aperte significavit, fabularum numero historiam de papissa esse habendam; en ejus verba in *Vitis* (ut supra) *R. Pontificum*, in Pap. Joan. VIII. « Hæc quæ dixi, vulgo circumferuntur, incertis tamen et obscuris auctoribus... *Erremus etiam nos hac in re cum vulgo.* »

Quod vero de sede perforata, tanquam ad explorandum sexum, ab inimicis Romanæ Ecclesiæ vel ab imperitis vulgatum est, id fabulosum omnino esse et ipse Platina testatur, qui et amplius ait Pontificem in sede illa perforata collocari, ut se hominem esse, et necessitatibus naturæ obnoxium meminere; ex quo insuper sedes illa stercoraria dicta est; sic apud Platina.

Verum quidquid sit de hujusmodi Platina testimonio, illud utique exploratum est, de illa sede, ut et aliis duabus ante capellam S. Silvestri quondam positis, primam mentionem occurrere apud *Cencium*, uno sæculo ante natam fabulam de papissa Joanna. Hinc magis, magisque corrui exinde petitum argumentum.

Tandem quoad statuam marmoream mulierem nempe adumbrantem cum infante, atque ad ipsam viam positam, qua papissa enixa erat, quæque tractu temporis inde sublata fuit, præstat adnotare statuam ejusmodi nec mulieris speciem præ se tulisse, nec infantem recens natum, pannisque involutum, vel inter matris ubera positum, sed puerum grandiorum qui præire videbatur. Quocirca simulacrum illud quid diversum omnino significasse planum est. Qui enim concipi potest, ut hocce Apostolicæ Sedis opprobrium Romani Pontifices æquo animo tulissent, simulacro publico in locoposito expressum?

Quod vero senis in templo majori statuæ papissæ aliquando extiterit, nihil quemquam movere debet, si ad supra memorata falsa monumenta attendat, quibus sculptor deceptus statuam istiusmodi effingendam ratus fuit.

Sed si quæras unde fabula de papissa Joanna orta sit, rationem reddere Baronius visus est, in persona scilicet Summi Pontif. Joannis VIII Photii in Roman. Eccl. communionem suscipientis, atque in patriarchatum Constantinop. restituentis; « qui (Pontifex) ob nimiam animi facilitatem et molliitudinem, abjecta penitus omni virilitate, fractus animo, sacerdotalis constantiæ expers, atque robore enervatus, non Papa, ut Nicolaus et Hadrianus, sed papissa fuerit contumeliæ loco dictus, utpote quod qui nec resistere sciret eunucho, quique vinceretur a semiviro, non vir,

sed femina esset potius nuncupandus. » Verba sunt Baronii, *ad an.* 879, n. 5 (174).

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ concernunt papæ dignitatem, auctoritatem, seu potestatem, et infallibilitatem.

SUMMARIUM.

1. Papa tantæ est dignitatis et celsitudinis, ut non sit simplex homo, sed quasi Deus, et Dei vicarius. — 2. Papa adeo summæ et supremæ dignitatis est, ut proprie loquendo non sit in dignitate constitutus, sed potius in ipso culmine dignitatum positus. — 3. Papa idem est ac Pater patrum. — 4. Et hoc nomine uti potest solus Summus Pontifex. — 5. Papa appellatur Sanctissimus, et quare? — 6. Neque sanctissimi appellari possunt imperatores et reges? — 7. Merito solus Papa appellatur nomine Sanctissimi, et quare? — 8. Papa præ excellentia suæ supremæ dignitatis vocatur episcopus episcoporum. — 9. Item appellatur Ordinarius ordinariorum. — 10. Item episcopus universalis Ecclesie. — 11. Item episcopus seu diocesanus totius orbis. — 12. Item divinus monarcha, ac imperator supremus et rex regum. — 13. Hinc Papa triplici corona coronatur tanquam rex cæli, terre et infernorum. — 14. Imo Romani Pontificis excellentia, et potestas, nedum est circa cælestia, terrestria et infernalium, sed etiam super angelos, quorum ipse major est. — 15. Ita ut si foret possibile, quod angeli errarent in fide, vel contra fidem sentirent, per Papam iudicari et excommunicari possent. — 16. Papa tantæ est dignitatis et potestatis, ut faciat unum, et idem tribunal cum Christo. — 17. Adeo ut quidquid facit Papa, ab ore Dei videatur procedere. — 18. Deveniendi ad Papæ auctoritatem, Papa est quasi Deus in terra unicus Christifidelium princeps, regum omnium rex maximus, plenitudinem potestatis continens, cui terreni simul, ac cælestis imperii gubernacula ab omnipotenti Deo credita sunt. — 19. Congruunt ulterius quoad Papæ summam auctoritatem et potestatem textus juris Cæsarei. — 20. Non minus summam Papæ auctoritatem, et potestatem extollunt rescripta et dogmata virorum aliorum Imperatorum. — 21. Magis magisque supremam Papæ auctoritatem, potestatemque extollunt plurimi sacri canones et ibi canonistæ communiter. — 22. Egregium dictum S. Cyrilli Alexandrini de admirabili auctoritate, seu potestate Summi Pontificis. — 23. Hinc jam communis opinio docet, quod Papa utriusque gladii habeat potestatem, spiritualem, scilicet, et temporalem. — 24. Quæ opinio auctoritate sanctorum Patrum, juris canonici et civilis dispositione, et Apostolicis constitutionibus latissime confirmatur. — 25. Adeo ut contrarium affirmantes videantur adhærere fere illi opinioni hæreticorum reprobata per Bonifacium VIII in extravaganti. *Unam Sanctam* 4, De obedient. — 26. Unde principes et reges, infideles possunt per sententiam Papæ privari in certis casibus Dominio, quod habent super fideles. — 27. Et inde Papa provincias, quæ olim Christianorum erant, ab infidelibus occupatas, alicui ex principibus Christianis regendas concedit. — 28. Imo Papa in casibus, quibus propter hæresim regis, videat periclitari religionem illius regni, fidemque aliorum, nec aliter tanto damno succurri possit, tunc potest non solum a rege regnum, sed etiam ab ejus successoribus, si illud debellaverit, concedere. — 29. Afferuntur ad id varia exempla. — 30. Papa tantæ est auctoritatis et potestatis, ut possit quoque leges divinas modificare, declarare, vel interpretari, ad num. 31. — 32. Papa id potest de se solo etiam sine generali concilio. Est enim Papa supra concilium

(174) Non desunt tamen, qui Joann. Papam a culpa liberandum esse censent, ex eo quod restitutio Photii ex necessitate exorta, et imperatoris,

generale, et non e contra. — 33. Quanto vero Papa major, et excellentior est omnibus, tanto humilior se reputat, et nominat, ac se vocat Servum servorum Dei. — 34. Papa quare se vocet Servum servorum Dei? — 35. Quis fuerit primus Pontifex qui se Servus servorum Dei nominavit? — 36. Papa potest cedere et renuntiare Papatui. — 37. Talis renuntiatio fieri debet apud Collegium cardinalium. — 38. Quantum ad Papæ infallibilitatem, potest Papa considerari dupliciter: primo, quo ad se, ut persona privata, privatusque doctor; secundo, quo ad alios, ut persona publica, et magister universalis Ecclesie, eam ex cathedra docens, proponendo quid credendum, quidve agendum sit. — 39. Loqui ex cathedra quid sit? — 40. Loqui ex cathedra non aretatur præcise ad ea, quæ Papa proponit ut a Deo revelata, et a nobis credenda fide theologica, sed insuper extenditur ad cætera quæ proponit seia tenenda, seu servanda. — 41. Decreta, quæ edita Papa ex cathedra circa doctrinam fidei et morum, sunt infallibilia. — 42. Afferuntur probatio primæ partis conclusionis, scilicet, quod infallibilia sint decreta Papæ circa doctrinam fidei. — 43. Adducitur et solvitur instantia. — 44. Adducitur et solvitur alia instantia, ad num. 45. — 46. Afferuntur probatio secundæ partis conclusionis, scilicet quod infallibilia sint decreta Papæ circa doctrinam morum. — 47. Adducitur objectio contra conclusionem. — 48. Adducitur responsio et solutio dictæ objectionis. — 49. Papa errare non potest in canonizatione sanctorum. — 50. Afferuntur probatio, quod id sit de fide. — 51. Adducitur et solvitur objectio. — 52. Adducitur et solvitur alia objectio. — 53. Papa secundum multos licet errare non possit, et infallibilis sit in beatificatione beatorum infallibilitate morali, et infra fidem, non tamen infallibilitate fidei. — 54. Afferuntur ratio hujus sententiæ. — 55. Papa secundum multos alios est absolute infallibilis infallibilitate fidei, non solum in canoniz. sed etiam in beatificatione. — 56. Afferuntur ratio istius sententiæ. — 57. Adducitur responsio ad rationes prioris sententiæ. — 58. Pontifex errare non potest in approbatione religionum. — 59. Afferuntur ratio. — 60. Adducitur et solvitur objectio. — 61. Adducitur et solvitur instantia. — 62. Papa probabilis etiam ut persona privata non potest in hæresim incidere et in fide deficere. — 63. Afferuntur ratio. — 64. Ex Romanis Pontificibus nemo unquam reprobatus fuit qui in hæresim vel apostasiam fuerit prolapsus. — 65. Adducitur et solvitur objectio. — 66. Adducitur et solvitur alia objectio. — 67. De fide est Benedictum XIV v. g. legitime electum, et talem ab Ecclesia acceptatum, esse verum Papam. — 68. Afferuntur probatio ex concilio Constantiensi sub Martino V et ex constitutione Leonis X damnantis hæresim Lutheri. — 69. Afferuntur probatio ex ratione. — 70. Adducitur et solvitur objectio. — 71. Adducitur et solvitur alia objectio. — 72. Primatus Ecclesie universalis, seu Papatui est annexus Romano episcopatu de jure divino. — 73. Afferuntur probatio ex sacris canonibus et conciliis. — 74. Adducitur et solvitur objectio ad num. 75. — 76. Adducitur et solvitur instantia. — 77. Adducitur et solvitur alia instantia concludendo, quod primatus Ecclesie nequeat a Romano episcopatu ulla humana potestate separari, ad num. 78. — 79. Quamvis aliqui Pontifices Avenione manserint, semper tamen episcopatum Romanum tenuerunt, et Romani Pontifices fuerunt appellati. — 80. Ubi Papa ibi Roma. — 81. Papa etiam si salutem excommunicat, aut ipsi scienter participet quovis modo, non ideo censetur eum absolvere, nisi expresse se declaret id velle. — 82. Alia ad rem ad num. 88.

omniumque patriarcharum Orientis consensu probata fuit. Ita cum de Marca sentit P. Phil. Angelicus Becchetti in sua *Hist. eccl.*, tom. VI, lib. LVIII, § 99.

(1. Papa tantæ est dignitatis et celsitudinis, ut non sit simplex homo, sed quasi Deus et vicarius Dei; c. *Ita Dominus* 7, dist. 19, ibi: « Hunc enim in consortium individue unitatis assumptum, id, quod ipse erat Dominus, voluit nominari, dicendo, *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* » et ibi explicat *Glossa*: « Id, quod ipse erat, scilicet petra, voluit eum vocari Petrum; » et concordat textus in cap. *In novo* 2, dist. 21, et c. *Fundamenta ejus* 17, De election., in 6, annotat. 1, ad decis. 2, n. 2, par. III *Rot. recent.* (2. Unde Papa adeo summæ et supremæ dignitatis est, ut proprie loquendo non sit in dignitate constitutus, sed potius in ipso culmine dignitatum positus, ut observat card. Zabarell. in Clement. 1, in 5, notabil. *De renuntiat.*, et cit. annotat. 2 ad decis. 2, n. 2, part. III *Rot. recentior.*

(3. Hinc Papa idem est ac Pater patrum, ut notat *Gloss.* communiter recepta in *Proæmio Clement.*, verb. *Papa*. (4. Et hoc nomine (175) uti potest solus summus Pontifex, ut maxima ratione, teste card. Petra, tom. I *Comment. ad constit. 1 divi Leonis*, n. 8, fuit statutum a Gregorio VII anno 1063, VII Kalend. Maii in *Synodo Romana*, quia vere solus ipse dici potest Pater Patrum, cum contineat primatum omnium, omnibusque sit vere major, omniumque maximus; cap. *Solitæ* 6, De majorit. et obedient., ibi: « Fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cæli; luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti, utrumque magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur cæli, hoc est universalis Ecclesie, fecit Deus duo magna luminaria, id est duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas et regalis potestas, sed illa quæ præest diebus, id est spiritualibus, major est; quæ vero carnalibus, minor, ut quanta est inter solem et lunam, tanta inter Pontifices et reges differentia cognoscatur (176). » (5. Papa Sanctissimus appellatur, quia talis vere præsumitur; cap. *Non nos* 2, dist. 40, ibi: « Quis enim sanctum dubitet esse, quem apex tantæ dignitatis attollit? In quo, si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ a loci prædecessore præstantur; aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur, illustrat. » (6. Neque sanctissimi appellari possunt imperatores et reges, quamvis enim in legibus civilibus vi-

(175) De Papæ nomine, ejusque origine atque etymo confer doctissimum P. Sollerium in *Patriarcharum Alexandrinorum historia chronologica*, a n. 156, in *Actis sanctorum Bollandianis*.

(176) Commune tamen id nomen olim episcopis fuit, ut ex pluribus exemplis, quæ congessere Sava- ro ad Sidonii lib. VI, ep. 1; Joannes Georgius Walchius, *De episcopo patre spirituali*, § 7, et cl. Mamachi, *Orig.*, etc., *antiquit. Christian.* t. IV, p. 297 seq. Ennodius tamen, ut magnus Sirmundus notavit ad ejusdem Sidonii epistolam primam lib. IV, Papæ nomen uni Romano Pontifici, tanquam proprium, et peculiare primus, ut videtur, asseruit. Nam cum episcopos omnes Papas cæteri fere, qui

deatur aliquando usurpatum ab imperatoribus nomen sacratissimi, ut observat card. Petra, tom. I *Commentar. ad const. 1 divi Leonis Magni*, n. 9, (7. Et merito solus Papa appellatur nomine Sanctissimi, quia solus ipse est vicarius Christi, qui est fons et origo, atque plenitudo omnis sanctitatis, cap. *Inter corporalia* 2, cap. *Quanto* 3, cap. *Licet* 4, de translatione episcopi, cum similibus.

(8. Papa præ excellentia suæ supremæ dignitatis vocatur Episcopus episcoporum, cap. *Novatianus* 6, caus. 7, qu. 1, cap. *Loquitur* 18, caus. 24, q. 1. (9. Item appellatur Ordinarius ordinariorum, c. *Cuncta per mundum* 17, c. *Per principalem* 21, caus. 9, q. 3. (10. Item Episcopus universalis Ecclesie, prout definit Pelagius II, constituit. incip. *manifesto*. Item Episcopus seu Diocesanus totius orbis, c. *Ad honorem* 4, De auctoritate et usu pallii, *Glossa*, verb. *Privata*, in c. *Felicis*, § final. *De panis*, in 6.

(12. Item divinus monarcha ac imperator supremus, et rex regum; adnotat secundæ partis ad decis. 2 *Rotæ recentior.*, n. 7. (13. Hinc Papa triplici corona coronatur, tanquam Rex cæli et terræ et infernorum; adnotat. 1 ad decis. 2, part. III *Rotæ recentior.*, § 45, num. 61.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

De triplici Papæ corona Nicolaus Ale- mannus de Lateranensibus parietinis cap. 13, p. 48, tom. VIII, part. VI *Thesauri antiquit. et historiarum Italiae*, ita scribit. « Tiaræ triplicis coronamenti ex Pontificibus primus gestavit ante annos non amplius ducentos quinquaginta Urbanus V duplicis vero Bonifacius VIII. Nam superiorum Pontificum tiaras in vetustis imaginibus ac monumentis unius coronamenti, et Romæ cernimus, et Sugerius describit: Capiti ejus (Innocentii VI) phrygium ornamentum imperiale instar galæ circulo aureo cinnamatum imponunt. » Circa ea quæ de triplici Papæ regno, deque potestate in sanctos angelos, quorum ipse sit major, auctor recenset, consulendi sunt theologi. Quæ enim ex jurisconsultis ipse refert, eruditus theologis suspecta, et quandoque etiam ridicula habentur. Capiti enim, ac visibili Ecclesie principi, non alii sane quam visibiles subditi, fideles scilicet homines designari videntur, atque in hoc tantum solvendi, ligandique potestatem exercent, eos scilicet regendo, absolvendo vel per

ejus ævo proximi fuerunt, appellare soleant, ut Sidonius, Faustus, Runcius, ipse perpetuo discrimine antistites reliquarum Ecclesiarum episcopos vocat, Papam solum Romanæ Sedis Pontificem, sive cum illi scribit, ut Symmacho Papæ, et domno Papæ, sive cum de illo apud alios agit, ut lib. III, ep. 10, lib. VI, ep. 55, et passim. Pari post Ennodium discrimine ejus vocis usurpatione usus est Cassiodorus, qui cum Bonifacium, Agapetum, et Joannem Romanæ Sedis episcopos Papas nominat, Eustorgium, et Datium Mediolanenses, et alios aliarum civitatum præsules, non aliter quam episcopos nominat. Confer etiam Zachariam in *Historia literaria Italiae*, t. VI, p. 505.